

Carolus
Pader-
bornæ
exerci-
tum refi-
cit.

Altera vi-
ce cum
Widekin-
do victo-
riose con-
greditur,
Eginard^o in
vita Caroli.

Et pacem
Westfalix
adfert sta-
bilitque.

D. Mei-
nulphi vi-
tæ initia.

Sed ad Carolum redeamus. Is à prælij loco Paderbornam regressus, castrisque circa fontes Luppix & Paderæ explicatis, fessum attritumque reficiebat militem; dum ex Francia altera pars exercitus, quam iteratis nuncijs præstolabatur, accederet. Inter hæc Widekindus ex Saxonum, Frisonum, & Septentrionalium populis recentem exercitum contraxerat, castris haud procul Osnæbrugo ad Hasam flumen firmatis. Id postquam renunciatum est Carolo, motis Paderbornâ castris, festinavit in hostem, eoque citior, quòd jam copijs ex Francia expectatis confirmatus esset. Ac postquam ad Hasam in mutuum conspectum venere, & Carolus Francos, Widekindus Saxones in aciem composuit, uterque ducis & militis fortissimi munere functus est. Decertatum acri prælio. Victi fugatique ad extremum Saxones. Cæsa innumera barbarorum corpora, direpta spolia, magna captivorum turba abducta. In utroque prælio Carolus ante aciem stetit, victorque pugnavit, uti Eginardus scribit. Utrumque ad omnem posteritatem memorabile prælium, quorum alterum *juxta montem, qui Osneggi dicitur, in loco Theotmelli nominato: alterum apud Hasam fluvium, et hoc uno mense, paucis quoque interpositis diebus commissum est. His duobus præliis hostes adeo profligati ac devicti sunt, ut ulterius Regem neque provocare, neque venienti resistere, nisi aliqua loci munitione defensi auderent.* Ita debellatis per Westfaliam hostibus, Carolus ab Hasa flumine ad Visurgim cum exercitu castra promovit; transitoque Visurgi, ad Albim usque flumen progressus, victoriam terroremque circumtulit. Inde trans Rhenum Heristallum se ad hyberna recepit; ubi Natalis Christi dies, & Pascha peractum. Annus, si quis alius, Saxonix felicissimus; quo, debellatâ superstitione, Christi religio triumphare cœpit; quantumque hætenus perfida & perjura gens pro libertate depugnavit, tantum libertas Christianæ religionis se extulit. Nam ab his prælijs, quæ cœlesti magis auxilio & beneficio, quàm humanis viribus adscribuntur, cœpit Carolus fana demoliri, aras impiorum sacrificiorum subvertere, Jdola comminuere, omnemque superstitionis cultum eliminare: & qui Saxoniam jure belli sibi vindicabat, cœpit jura populo præscribere, & regno Francico regionem accensere; ut jam *unus populus, quemadmodum Eginardus perhibet, Saxones & Franci censerentur.*

Ad hæc tempora, quibus Carolus M. frequenter Paderbornam invisit, referre visum est, quæ Auctores de ortu D. Meinulphi & matre tradiderunt. Natus est is inter bella Caroli cum Saxonibus, novum postea sanctimonix sidus inter Westfalos conspiciendus; quamvis nonnemo ortum ejus supra ad annum 777. retulerit. Verùm cum anno 847. è vita abiisse dicturi simus, ne vitam longius, quàm verisimile sit, extrahamus, natalis & vitæ ejus exordia hisce temporibus assignare placuit, quæ Caroli quoque in hunc puerum benefi-

benefi-